



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Innocentio XI. Ad Innocentium XII.

Luxemburgi, MDCCXLI.

22. Militantis Ecclesiæ &c. Confirmatio Decretorum & Ordinationum Prioris
Generalis Ordinis Fratrum Mariæ Virginis de Monte Carmelo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74849](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74849)

cumque pariter nomine nuncupatis, seu Cardinalibus eorum Protectoribus, Archiepiscopis, Abbatibus, Vicariis, aliisque Administratoribus quibuscumque in quibusvis Causis Civilibus, Criminalibus, aut mixtis dictarum Ecclesiarum, Locorum Piorum, aliorumque ut supra, nec non eorum Officialium, Dignitatum, Canoncorum, Beneficiatorum, Affictuorum, Emphyteutarum, Colonorum, aliorumque quomodolibet interuentium eisdem Locis Pii, illorumque bonis, & Tenuris, etiam Privilegia predicta appareant, seu fuerint concessa Motu proprio, Consistorialiter, seu in limine foundationis, sive ex causa onerosa, vel pro bono publico spirituali, aut temporali, & quantumvis extiterint semel, ac pluries per Sedem Apostolicam confirmata, & innovata, cum quibusvis facultatibus, & auctoritatibus eligendi Notarios sibi bene visos, ac procedendi summarie, de plano, sola facti veritate inspecta, sine strepitu, & figura iudicii, Manu Regia, ac quacumque appellatione, reclamatione, recursu, revisione, supplicatione, seu restitutione in integrum remotis, seu cum aliis similibus, aut maioribus facultatibus, ac quibuslibet efficacissimis clausulis munita noscantur, etiam si ista continerent derogatorias ad futura, seu derogatorias derogatorias, seu mandarent revocari non posse, nisi auditis etiam pluries habentibus interesse, ita ut Constitutionis per Sanctitatem Suam promulgande effectus sit, quod in omnibus, & per omnia predicta privilegia, facultates, & Indulta quocumque titulo, causa, vel ratione, aut verborum amplitudine edita, seu concessa habeantur, ac si non emanassent, aut nunquam fuissent confirmata, vel innovata.

Mens autem, ac Sensus Congregationis fuit, & est sub presenti ordinatione non comprehendere causas jam instructas, seu alias legitime contestatas coram Iudicibus particularibus, quive propterea ea non obstant potuerunt ad illarum expeditionem prout Iuris fuerit procedere: Verum si causis huiusmodi expeditis appellari, reclamari, supplicari, recurri, aut in integrum peti restitutio contingat, appellationes huiusmodi, reclamationes, supplicationes, recursus, ac petitiones restitutionis in integrum devolvantur ad Signaturam Justitiae, prout praticatur in ceteris Causis expeditis ab Iudicibus Ordinariis, nec amplius redire possint ad Tribitalia antiquorum privilegiorum, sive ad Protectores, Archiepiscopos, aliosque ut supra: prout nec etiam in casu recursuum, & appellationum in posterum interponendarum a sententiis, & Decretis Iudicum per eosdem privilegiatos extra Curiam deputatorum, seu deputandorum, huiusmodi recursus, & appellationes amplius ad supranominatos, sed ad Iudices Ordinarios, & competentes Romana Curia devolvi debeant.

Declarando tamen, quod per presentem ordinationem non censetur ullo modo adempta Cardinalibus Archiepiscopis, Protectoribus, seu Titularibus, eorumque Vicariis, aliisque deputatis facultas, seu Jurisdictio in his, qua concernunt servitium Ecclesiae, seu Locis Pii, circa disciplinam Ecclesiasticam, & Morum correctionem dumtaxat: prout quod neque sub eadem ordinatione comprehensa sint Tribitalia Camera Apostolica, Legatus Avenionensis ac Iudex Fabrica S. Petri, neque Congregationes descriptae in solito liberculo, seu Elencho Congregationum, ac Tribunalium Urbis. Quo vero ad interesse Notariorum, nec non ad artes, & Consularatus Urbis, censuit eadem Congregatio, esse in posterum particulariter providendum. Facta sub eadem die 31. Augusti 1692. per me infra scriptum relatione praemissa resolutionis sanctissimo D. Nostro, Sanctitas sua precepit, illam publicari, & interim omnino observari, donec desuper edatur Bulla, ac si eadem jam emanasset.

Anfaldus de Anfaldis S. S. D. N. Auditor.

Sequuntur nomina Praelatorum aliorumque qui praedictae Congregationi particulari a Sanctissimo specialiter deputatae intervenerunt.

Reverendiss. P. D. Prosper Bottinus Archiepiscopus Miren. Filici, & Camerae Advocatus, & Promotor Fidei Reverend. P. D. Jacobus Emerix S. Rotae Advocatus.

Reverend. P. D. Matthaeus Yfore de Heruault Sac. Rotae Decanus.

R. P. D. Federicus Caccia Sac. Rotae Auditor.

R. P. D. Joseph Molines Sac. Rotae Auditor.

R. P. D. Curtius Origus Signaturae Justitiae Auditor.

R. P. D. Joseph Sacripantes S. D. N. Subdatarius.

R. P. D. Ferdinandus Nuptius Rev. Camerae Apostolicae Commissarius Generalis.

R. P. D. Anfaldus de Anfaldis Auditor Sanctissimi.

D. Fattinellus de Fattinellis Primus Collateralis Curiae Capitolii.

D. Jo. Dominicus Raynaldus Locumtenens Criminalis Eminentissimi D. Card. Vicarii.

Pro D. Succesore D. Nicolai Florelli olim A. C. & S. Palatii Apostolici Notarii.

Angel. Montan. pro R. C. Administrator Deputatus.

Die mense, & anno, quibus supra, supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Curiae, & in Aede Campi Florae, & aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Sebastianum Vafellum SS. Domini Nostri Papae Curf.

M. Aurelius Pelliccia Mag. Curfor.

Confirmatio Decretorum & Ordinationum Prioris Generalis Ordinis Fratrum Mariae Virginis de Monte Carmelo.

XXIII.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Militantis Ecclesiae regimini per ineffabilem Divinae bonitatis abundantiam, nullo licet meritorum Nostorum suffragio, praesidentes, ea quae à Religioforum Ordinum Superioribus ad bonarum artium, & Sacrae Theologiae studia, ex quibus Ecclesiae, & religioni multum decoris, atque utilitatis provenire solet, opportunis rationibus promovenda providere, sapienterque constituta, & ordinata esse noscuntur, ut firma semper, atque inviolata persistant, Apostolici muniminis Nostri praesidio, cum id à Nobis petitur, libenter roboramus.

Exordium.

S. 1. Exponi siquidem nuper fecit Dilectus Filius Joannes Feyxod de Villalobos Prior Generalis, Ordinis Fratrum SS. Mariae Virginis de Monte Carmelo, quod ipse, ut sacrarum eiusque ancillarum bonarum Litterarum studia in eodem Ordine, ac praecipue in Provinciis Italiae ipsius Ordinis magis in futurum vigeant, peculiarem muneris sui sollicitudinem adhibere satagens, vigore specialis facultatis sibi ad id in Capitulo Generali dicti Ordinis novissime in hac Alma Urbe celebrato attributae, accum approbatione Venerabilis Fratris Nostri Palatii Episcopi Praenestiniensis S. R. E. Cardinalis de Alteriis nuncupatis Ordinis praedicti apud Nos, & Sedem Apostolicam Protectoris, nonnulla super praemissis Decreta, Ordinationes, & provisiones fecit tenoris, qui sequitur videlicet.

Recentiora Decreta & Ordinationes de quibus in Rubr.

Fratres Joan-Feyxod de Villalobos Sacrae Theologiae Magister, ac humilis Prior Generalis totius Ordinis Fratrum Beatissimae Virginis Mariae de Monte Carmelo antiquae, & regularis observantiae &c. Omnibus & singulis notum est, quod Sacra nostra Religio à primis ejus Institutoribus uberes in Ecclesia Dei fruges ex laudabilibus bonorum Fratrum operibus, & exemplis provenientes, totis studiis proferre consuevit, ut liquidò constat, tum ex Nostri Constitutionibus, praescribentibus, quod Priores Provinciales, & locales in nostro Ordine, nec minimum quidem apicem quoad studia praetermittere negligant, & potius praes oculis semper habeant, quod magis floreat in favorem gloriam, & decus Religionis. Tum ex Bullis fel. rec. Gregorii XIII. *Ur Laudes*; Julii II. *Ad Sacrum Ordinem*; & Sixti IV. *Dum attenta ibi fructus quoque uberes, quos dictus Sacer Ordo in agro Militantis Ecclesiae in propagatione Religionis, & Fidei Orthodoxae hactenus produxit utiliter, & producit, ac in futurum produciturum speramus* &c. Hinc

Proemium ab expellenda ignorantia & fovendis bonarum Litterarum studiis.

nostro-

nostrorum Patrum vestigia sectantes, & Nostris Constitutionibus, imò Sapientiæ Divinæ Cap. 13. loquente: Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei, quæ propterea præponitur Regnis, & Sedibus, & cum qua, ut dilucidè proclamat Salomon, omnia bona venire solent, adherere cupientes, omni contentione elaborandum duximus, ut à Nostris subditis exulter ignorantia omnium malorum fecundissima parens. Quare ut in tota Religione, & præcipuè in Provinciis Italiæ præfata bona radices fundere, & mala ex nimia in admittendis studentibus, ac gradibus conferendis facilitate fortè obventura, vitari omnino valeant; De consensu, & instanti Zelo Nostri Eminentissimi Cardinalis Protectoris de Alteris, ac de Consilio Gremialium Nostrorum super hoc Nostram conscientiam gravantium, pro eisdem Provinciis, aliisque in quibus vigent gradus, & non sunt pro illis statuta specialia sequentia Decreta inviolabiliter observanda emanare statuimus.

Primo cum certissimum sit Religionum omnium sive progressum, sive defectum à receptione, & educatione pendere; mandamus, ut nullus admittatur ad habitum nisi, à Rev. admodum P. Provinciali, ac tribus, vel saltem duobus Examinatoribus in Capitulis Provincialibus, vel juxta exigentiam ab eo deputandis, per suffragia secreta adjudicetur peritus in Grammatica, & Litteris humanis; Quibus per Magistrum ab eodem Provinciali designandum, qui eos edoceat ipso adhuc Novitatus anno, quotidie saltem per horam incumbere teneantur, ut si ad professionem admittantur, præhabitis deinde à Conventu testimonialibus aliàs ad omnium graduum collationem requisitis, de vita, & moribus facilius ad cursum artium valeant promoveri, prout omnes in posterum promovendos mandamus.

Secundo instituatur in omni Provincia quatuor Collegia, vel plura, aut pauciora juxta capacitatem Provinciarum, & Conventuum possibilitatem. unum pro cursu Philosoph. per triennium à Lectoribus absque ulla interruptione complendum duraturo: in quo propterea incipiendo Lector à Summulis prosequi debeat usque ad completam Metaphysicam, nec ullo modo distrahatur simul legendum v. g. uni, vel pluribus Logicam, aliis vero Summulas, vel Physicam, aut Metaphysicam, sed iidem, quibus inceptis Summulas, & qui nullatenus ab eo Conventu, vel Collegio, nisi maximi delicti causâ erunt in posterum removendi, habitis quotidie circulo, & duabus Lectionibus per horam divisivè totum cursum triennalem prosequatur, & qui si intra triennium promovendi sint ad Philosophiam, instituatur pro his in alio Conventu à Provinciali designando, alter Lector, qui eodem modo suum cursum prosequatur: Alterum pro cursu Theologiæ, in quo collocentur Cursores per quadriennium, & Lectores, seu Regentes habeant quotidie manè per unam horam Lectionem ad mentem Angelici Præceptoris, vel resoluti Nostri Doctoris, aliorumque ipsorum fidelissimorum Sequacium, & in Constitutionibus tum actualibus, tum pro tempore habendis explicandis, & vespere per aliam horam circulum, seu conclusiones (nisi velint pro majori studentium profectu manè, & vespere Lectionem simul cum circulo facere) quibus teneantur per se, vel per Magistrum studentium præsidere arguentes ad placitum in ipso actuali circulo, ut omnes parati ad arguendum accedere teneantur deputando, & negligentes rigide puniendo: Eâ tamen denique Legge, quod ubi erunt duo Regentes titulo primi, & secundi Regentes juxta Nostras Constitutiones posituri, manè, & vespere per horam divisivè Lectiones, & circulum cum obligatione præsidendi alternativè per mensem habeant una cum conclusionibus publicis quolibet mense, & ubi fuerit unus Regens, quolibet bimestre cum interventu aliarum Religionum, quibus tamen non per Magistrum studentium, sed per seipsos præsidere teneantur. Tertium ad quod transeant deinde Cursores, qui ad

illud deputabuntur pro lectionibus suo tempore obtinendis, in quo quotidie per horam manè, & per aliam vespere habeantur Conclusiones juxta sequentem dispositionem; in primo anno de primo; in secundo de secundo; in tertio de tertio, in quarto de quatuor libris sententiarum, in quinto de Sacramentis, ita tamen, quod in alia parte, in qua finient in quolibet anno, prosequantur in sequenti, & intra quinquennium notitiam, seu species totius Theologiæ Scholasticæ, & moralis, circa quaestiones magis selectas, graviores, & tutiores in probabilitate, relictis minus probabilibus, juxta legem æternam, divinam, naturalem, positivamque Ecclesiasticam secundum judicium, prudentiam, & conformitatem dictamini rationis, per judicium reflexum viri sapientis, medio judicio determinato absoluto non fluctuante. Quartum denique pro Theologia morali, in quo instituatur Lector, qui illam methodicè doceat omnes manè, & vespere, habendo qualibet hebdomada circulum, sive conclusionem de aliqua quaestione per spatium horæ cum dimidia ad quam ad invicem arguantur studentes, & teneatur Prior cum aliis Patribus etiam non studentibus accedere, quæ quidem Lectura suffragabitur Lectoribus pro suis gradibus acquirendis. Quæ Collegia ita volumus fore distincta, ut in uno, eodemque Conventu nullo modo, nisi sit ex principalioribus, & ditissimis, deputentur simul duo studia, sive Philosophiæ sive Theologiæ, aut Philosophiæ, & Theologiæ.

Tertio qui ad cursum artium reputabuntur proinde idonei, mittantur ad primum Collegium, in quo studeant per tres annos Philosophiæ, modo & formâ ibi præscriptis, & cursu expleto præviis punctis, sive Lectionibus, ac publicis disputationibus super universa Philosophia, comprehensa Methaphysicâ ad renorem Constitutionum, examen pro Cursoratu consequendo subire teneantur, & qui reperti fuerint apti ad dandam Theologiæ operam, instituatur Cursor: qui vero inepti mittantur ad quartum Collegium, in quo Theologiæ morali incumbere teneantur, ut hoc exercitio præditi tutius administrationi Sacramentorum præsertim Pœnitentiæ pro fidelium salute incumbere valeant.

Quarto, Cursores deinde sic instituti, mittantur ad secundum Collegium, in quo per quadriennium Theologiæ scholasticæ studere teneantur, modo & formâ ibi præsignatis: & Regentes, seu Lectores debeant tractatus, sive materias à Præfecto studiorum, vel primo Rege, juxta dispositionem tamen præscriptam eligendas, & nunquam intra idem tempus repetendas, perfectè complere intra cursum: quo quadriennio expleto ab Examinatoribus à Generali pro tempore deputandis examinentur pro Lecturarum concursu, & qui ad eum reperientur idonei, mittantur ad tertium Collegium, in quo manè, & vespere habeant quotidie circulum conclusionum, modo & forma ibi statutis, & præviis deinde duabus saltem conclusionibus habendis, una in eodem Collegio, reliquæ verò in aliis Collegiis vel Capitulis Provincialibus, in quibus tamen eligantur magis acuti, & perspicaces pro honore Provinciæ, & Religionis, ad Lecturas, ut infra, obtinendas disponantur, qui verò inepti adjudicentur, in Concionibus, quatenus habiles ab eisdem Examinatoribus reputentur, se exerceant, ut sic Religioni valeant inservire.

Quinto. Cum tempus aliàs à Provincialibus (una cum Conventu ad studia tamen designato) juxta Oppositorum commoditatem quolibet biennio, quatenus sint sufficientes Oppositores, præscribendum, pro Lecturis adveniat, fiat Concursus omnium, qui dicta requisita compleverint (sive sint illius, sive alterius Provinciæ, & jure retento ad Lecturas obtinendas, tum in propria Provincia tempore oppositionis, ad quod habiles jure legitimo declarantur omnium jurgiorum viam claudendi causâ, tum in ea, in qua reperiuntur saltem per hoc sexennium, licet sint alienæ Provinciæ) & intra spatium viginti quatuor horarum unusquisque

Requisita
admitten-
dorum ad
habitum.

De insti-
tuendis in
qualibet
Provincia
Collegiis,
& de Lec-
torum
circa res in
eis tractan-
das officio.

Mittendi
ad primum
& quartum
Collegia.

Pro Cur-
soribus in-
stitutis.

De bien-
nali con-
cursu.

tria dubia per unam horam super tribus punctis forte desumptis proponat propriam sententiam aperiendo. Pro Philosophia ex Aristotele in Logica, octo Libris Physicorum de anima, & de Generatione & Corruptione. Pro Theologia verò ex Magistro sententiarum Petro Lombardo: & per aliam horam plenè satisfaciatur difficultatibus à duobus Cooppositoribus per duo media propositis, nisi maluerint eligere (quod eorum arbitrio omnino relinquitur) ex tribus punctis unum, ex quo genuinam, vel magis consonam quæstionem per spatium unius horæ proponant & probent, ad quam tamen teneantur pariter duo Cooppositores duo media similiter proponere.

De electione Lectorum.

Sextò, oppositionibus expletis conveniant statim Provincialis ejusque Socius Prior Conventus, Regentes sive Lectores actuales una cum Præfeto, aliisque Magistris de numero in eodem Conventu degentibus, qui quidem omnes eisdem oppositionibus assistere teneantur & per vota secreta conferatur respective Lectura illi, qui plura vota habuerit, & æqualibus votis, qui fuerit professione antiquior, (salva tamen semper Generalium auctoritate instituendi tum Præfetos, tum Regentes studiorum, quos aptiores judicaverint, præsertim Studiis Generalibus) relicta deinde alteri primà Lecturà vacatur absque novæ oppositionis obligatione; Et declaratis aliis, qui in suffragiis fuerint inferiores, vel Lectoribus Theologiæ Moralis per hoc sexennium tantum, vel Magistris studentium, tum Philosophiæ, tum Theologiæ, ut in exercitiis Litterariis regentes adjuvent, simulque se disponant ad suum cursum Philosophicum conficiendum, & sic subtilius, ac perfectius suum munus adimplere possint tempore, quo ad oppositionem iterum redeunt, eliguntur Regentes, sive Lectores. Mandamusque, ut tam Lectores, quam Magistri studentium eligantur juxta merita, & antiquitatem in justitia, & æquitate, quam omnino intendimus, non autem ad libitum Provincialis, seu Regentium, super quo eorum conscientias oneramus, ne in sententiam electionis indigni, relicto digniore, prolabantur.

Lectorum munus.

Septimò, Lectura obtentà legant per tres annos totam Philosophiam in primo Collegio, modo & formà ibi declaratis, quo triennio expleto gradum Baccalaureatus à Generali consequantur, ad Theologiæ Lecturam complendam per alios quinque annos ante gradum Magisterii, quem à Nobis, ac Successoribus juxta Breve Urbani VIII. deinde obtinebunt, deputandi.

Quid eisdem pro Baccalaureatus gradu obtinendo incumbat.

Octavò. Lectores usque modo jam instituti (& idem proportionabiliter dicendum veniet de Baccalaureis, qui nondum biennium Baccalaureatus compleverint) qui vel tempus pro Baccalaureatu consequendo nondum adimpleverunt, vel eo adimpleto nondum patentes Litteras Baccalaureatus obtinuerunt, sive legerint, sive non, computato illis tempore elapso, ac si omnes actu legissent, teneantur præviâ tamen pro his, qui non legerunt, prædictâ oppositione reliquum supplere temporis lecturæ usque ad complementum triennii pro Baccalaureatu consequendo, juxta præsentia statuta requisiti, quo obtento una cum Lectura, modo, & formà quibus supra promoveantur suo tempore, & præviâ præsentatione Provinciæ ad gradum Magisterii.

De Baccalaureis, ad Lecturam concurrere nolentibus & tempus otiose transigentibus.

Nondò Baccalaurei denique, qui omnia hæc requisita pro Magisterii gradu obtinendo adimpleverint, sed ob causas Nobis notas præsertim intra quatuor elapsos annos ad examen accedere non potuerint, sicut, & alii, qui juxta Capituli Generalis Decretum sub pena privationis graduum, & privilegiorum Romam accedere tenentur, accedant ad examen, ut juxta eorum capacitatem providere valeamus, proportionem servatâ de Magisterio juxta relata. Qui verò noluerint ad Lecturas concurrere, approba-

ti tamen sint ab aliquo Ordinario pro audiendis secularium Confessionibus, & in illis laudabiliter se exercuerint, consequentur gradum Baccalaureatus de Morali, & fruuntur præcedenti decem annorum ultra tempus professionis supra Patres simplices, quo etiam titulo, seu gradu, & præcedenti gaudebunt illi omnes qui peracto studio Theologiæ Moralis methodice traditæ fuerint approbati ab aliquo Ordinario, & in hujusmodi Confessionibus per quadriennium saltem laudabiliter se exercuerint, & qui denique otiose, & sine aliquo fructu tempus transigere volunt, subiaceant Decreto Capituli Generalis, careantque gradibus, & privilegiis, ita ut inter Patres simplices computentur, nisi in concionibus dederint Religionis splendorem, quo casu decorabuntur gradu Baccalaurei de Pulpito cum eodem privilegio, quo fruuntur Baccalaurei de Morali.

Decimò. Ut autem omnia majori studentium profectu valeant adimpleri, eisdem studentibus, sive Philosophis, sive Theologis inhibemus, ne à Conventu unquam exeant, nisi cum Regentibus occasione recreationis, quæ unica tantum erit qualibet hebdomadâ, vel causâ exercitii Litterarii, aut maximæ necessitatis à Regentibus approbatâ, & præviâ Superioris, & Lectoris licentiâ, etiam tempore vacationis, id est æstivo, vel Quadragesimali. Quatenus aliquis Regens, vel Magister studentium in Conventu remanserit, quo diebus Lunæ, Mercurii, & Veneris, ne species acquisite deperdant, mane, aut vespere, circum, aut conferentiam habeant per unam horam, ad quam omnes præsertim Regentes accedere teneantur, eodem prorsus modo, quo in diebus Dominicis, vel eo impedito, alio die commodiori, cujusque hebdomadæ totius anni, & singulis saltem mensibus, cum concursu aliarum Religionum, Conclusiones haberi volumus, & mandamus.

De tempore recreationis & conferentiarum.

Undecimò. Et cum plurimum pariter officiat, quòd ad alia Religionis munera, ut evenire solet, simul applicantur Regentes actuales, cum aliis nequeant duobus Dominis servire, districte inhibemus, ne aliquod officium, etiam Prioratus simul exercere valeant: Et pro eorum, ac studentium necessitatibus mandamus Prioribus sub pena privationis officii negligentibus statim infligendâ, ut sub determinato tempore solvant vestitium tum Regentibus, tum studentibus, ac eorum Magistris. Decernentes expolia Fratrum decedentium fore applicanda, sive expendenda pro libris necessariis in quolibet Conventu, præsertim ubi sunt studia (quorum librariis omnino applicandos pariter volumus eorumdem decedentium libros) etsi libri sufficientes jam fuerint, pro indigentis dictorum Regentium, ac studentium.

Diversa officia simul non gerenda, item devotario solvendo & Fratrum decedentium expoliis.

Duodecimò, Præcipientes denique ultimò omnibus Provincialibus, quòd in primo Capitulo Provinciali debitâ portione servatâ juxta quantitatem, & qualitatem Conventuum Provinciæ, assignetur numerus determinatus Magistrorum in futurum servandus, præsentibus Magistris cum omnibus gratiis, privilegiis, ac prærogativis manentibus: De reliquo autem nullus instituatur Magister cum suffragio in Capitulo, nisi sit de illo numero determinato, in quo juxta suam antiquitatem Magisterii à die datarum Litterarum subintrare debeant. In quorum fidem &c. Datumi Romæ die 20. Augusti anni 1692.

In primo Capitulo Provinciali numerus Magistrorum determinandus.

§. 2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat, dictus Joannes Prior Generalis præmissa, quo firmitus subsistant, & serventur exactius, Apostolicæ confirmationis Nostræ patrocini-

Confirmatio præmissorum Decretorum Apostolica

nio communiri summopere desideret. Nos ipsius Joannis Prioris Generalis votis in hac re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque à quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & penis à jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum presentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutum fore censentes, supplicationibus ejus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnia, & singula Decreta, ordinationes, provisiones, & Capitula præinserta auctoritate Apostolica, tenore presentium confirmamus, & approbamus, illisque inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervererint, supplemus, salvâ tamen semper in præmissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decreta
pro firmi-
tate.

§. 3. Decernentes ipsas præsentis Litteras semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respectivè inviolabiliter observari, sique in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definituri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariis.

§. 4. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non præfatorum Ordinibus, & Provincialibus, aliisque quibuscumque, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis illorum tenores præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanens ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

Transsum-
ptorum
fides.

§. 5. Volumus autem, ut earundem præsentium Litterarum Transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica Dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsis præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

D. 11. O-
ctobris
1692. P. A.
secundo.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 11. Octobris 1692. Pontificatus Nostri Anno secundo.

J. Franciscus Card. Albanus.

Suppressio Venalitatæ Officiorum Causarum Curie Camera Apostolicæ Generalis Auditoris, nec non ejusdem Camera Thesaurarii Generalis, duodecim Clericorum, & Præfidentis.

XXIV.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

AD hoc unxit Nos Deus oleo lætitiæ præ confortibus Nostri, ut justitiam, quæ est præparatio Sedis Nostræ, incessantibus studiis diligamus, quod tunc laudabiliter, ut par est, nullo Nostrorum meritorum suffragio, sed ineffabili

Procedit
à dilectio-
ne justitiæ.

Omnipotentis Dei bonitate, & providentia adimplemus, cum viâ regiâ incedentes, neque ad dexteram declinantes, neque ad sinistram aliquam deviantes, jus suum unicuique tribuere, eosque, quos præsertim juri, nedum in causis privatorum, sed Fisci Nostri dicendo, nec non Sedis, & Camera Apostolicæ bonis, juribus, & redditibus administrandis, & tuendis respectivè in partem sollicitudinis evocamus, personarum acceptione non facta, divitiarum sorte posthabita, ac meritorum, & virtutum collatione dumtaxat librata, undequaque dignos, & præstantiores eligere satagimus.

§. 1. At dum ad præcipua Romanæ Curie Prælatorum, nimirum Causarum Curie Camera Apostolicæ Generalis Auditoris, ac ejusdem Camera tum Thesaurarii Generalis, tum duodecim Clericorum Præfidentium, nec non alterius Præfidentis vacabilia, & interim fructifera Officia, quæ rationabilibus olim suadentibus causis, seu gravibus tunc urgentibus necessitatibus aliis decuit recepto pretio concedi, & successivè durantibus, & plerumque adauctis iisdem necessitatibus, vel causis, opus, seu opportunum visum fuit, similibus concessionibus instaurari, mentis Nostræ oculos sedula meditatione convertimus; exinde viros alioquin dignos, solvendo tamen pretio hujusmodi impares, aliquando prætermitti, necesse esse, non sine gravi animi Nostri morore perpendimus.

§. 2. Hinc, ut sola virtutum præstantia in hujusmodi Officialium circumspiciat, & iusta electione præponderet, atque contra præfatam Romanam Curiam obloquendi, & oblatrandi invidis, & insensibus ejus detractoribus calumniosa hujusmodi tollatur occasio, quantum Nobis ex Alto conceditur, providere volentes, justum Officiorum prædictorum, & cujuslibet illorum pretium, quin etiam quicquid pro expeditione in eorumdem officiorum acquisitione fuerat expensum, ascendentes in totum ad summam decies centenorum, & viginti millium septingentorum sexdecim scutorum monetæ Romanæ, unicuique ex præfatis Officialibus pro sui Officii valore, & expensis prædictis, in primis, & ante omnia, prout in Nostro die undecima currentis mensis Octobris desuper confecto, & manu Nostra subscripto Chirographo, cujus tenorem haberi volumus pro expresse, uberius continetur, restitui mandavimus.

§. 3. In cujus exequutionem, cum pretii, & expensarum hujusmodi integra, & effectiva restitutio, iisdem Officialibus in id consentientibus, subsequuta fuerit, Officiorum prædictorum venalitati in posterum occurrere volentes: Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione Nostri, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, memoratorum Officiorum venalitatem tenore presentium penitus, & omnino tollimus, supprimimus, extinguimus, removemus, & abolemus: Volentes, & mandantes, ut hujusmodi Officia antehac in perpetuum, seu ad vitam concedi solita, in posterum ad Nostrum, & Romani Pontificis pro tempore existentis, & dictæ Sedis Apostolicæ beneplacitum, Viris vitæ, & morum integritate præstantibus, Literarum scientiâ præditis, rerumque humanarum experientiâ insignibus, ad majorem Dei gloriam, Romanæ Curie, & Prælatuæ decorem, nec non virtutis incitamentum, & præmium, gratis, & nullo recepto pretio concedantur.

§. 4. Volumus tamen, & decernimus, omnia, & singula emolumenta tam ordinaria, quam extraordinaria, jura, bona, fructus, redditus, & proventus certos, & incertos, dicta Sede tam plena, quam vacante, undecumque provenientes, etiam ex annatis, quinquenniis, minutis servitiis, multis, penis, compositionibus, sigillis, expeditionibus, ac Litteris patentalibus, nec non jocalia, & regalias solvi solitas à quibuscumque personis, & Communitatibus, & præsertim à Camera Apostolica, illiusque Appaltatoribus, Thesaurariis, Censuariis, aut Feudatariis in quocumque anni tempore,

OfficiaCa-
meralia ob
necessita-
tem ven-
debantur.Ad occlu-
dendum
os Detra-
ctoribus
Romanæ
Curie res-
tituitur
Camerali-
bus pre-
tium, &
summa ex-
pensa in
expeditio-
ne ascen-
dente in
totum ad
scuta
102716.Supprimi-
tur venali-
tas in po-
sterum, &
Officia de-
cernuntur
ad bene-
placitum
Pontificis
duratura.Fructus
omnes, &
emolu-
menta eo-
rundem
Officio-
rum appli-
cantur Ca-
meræ.